

P I S A

1 6 0 8

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

H. d. 12.

DISPUTATIO X.
EXERCITATIONVM ETHICARVM
De
MAGNANIMITATE,
MODESTIA ET MAN-
SÜETUDINE

Ex libro Quarto Ethicorum Nicomachio-
rum cap. 3. 4. & 5. depromptis

Quam

DEO DUCENTE ET DOCENTE

In illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO PHI-
losophiæ moralis Professore publico,
defendendam suscipiet

BURCHARDUS LANGIUS CA-
lenbergensis Saxo.

25. Julij horis & loco consuetis.

VVITEBERGÆ,

Typis Mullerianis Anno 1607.



Magnifico, eximiaque nobilitate præclarissimo, ac excellenti virtute præstantissimo viro, Domino Lucae Langemanteln von Sparren / Reverendissimi ac illustrissimi principis ac Domini, D. Henrici Iulij, Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunsvicensis & Lunæburgensis &c. Consiliario, & arcis Calenbergensis Archipræfecto dignissimo.

Nec non

*Viris clarissimis, consultissimis, Amplissimis
& Prudentissimis*

Dn. Erico Reichen / celeberrimæ Reipub. Hannoveranæ consuli dignissimo.

Dn. Iohanni Freudenhammer arcis Calenbergensis præfecto fidelissimo.

Dn. Henrico Müllero Reipub. Hannoveranæ Senatori primario.

*Dominis Mæcenatibus ac Patronis suis omni
observantiæ studio colendis.*

Hoc exercitium Ethicum honoris & observantiæ ergo inscribit & offert.

Burchardus Langius Res.

CONTINUATIO.

Regressa disquisitione duas illas virtutes
 excussimus, quae versantur circa pecuni-
 am, tam parvam quam magnam, nempe
 Liberalitatem & Magnificentiam: Nunc ad
 alias duas digredimur, quae circa aliud bonum ex-
 ternum, & quidem externorum bonorum omni-
 um maximum, honorem scilicet, occupantur,
 ejusque appetitionem moderantur. Quia enim in
 honoris prosecutione, pariterque & supra potest esse,
 & plus, & minus, atque medium; & praeterea bo-
 nor alius est magnus, ob magna nimirum merita,
 & quandam virtutis υπεροχών sublimitatem, seu
 abundantiam viris praestantibus delatus: alius
 parvus, virtuti & meritis minoribus debitus:
 Exinde duae existunt virtutes, quae honoris cupidi-
 tatē ad praescriptū rectae rationis gubernant & di-
 rigunt. Harum una μεγαλοψυχία, id est Magnani-
 mitas vocata, honoris magni; altera verò apud
 Gracos proprio nomine destituta; parvi honoris
 format, & regit appetitionem. De hujus utriusque
 natura, & conditionibus hac vice ex Aristotele
 quam brevissimè agemus; subjuncturi etiā illam
 virtutem, quae πραότης, mansuetudo dicitur: Siquidē
 haec ipsa virtus superioribus ab Aristotele proxi-
 mē subjicitur: initiū capiemus à magnanimitate.

THESIS I.



Legans est illud Scaligeri, à vocis usu provehi nos sapif-
simè in rei perceptionem *Axer. 1. s. 1. idcirco & hic nominis e-
volutio haut parum lucis afferet ad hujus virtutis naturam intelli-
gendam.*

II. Apud Græcos igitur μεγαλοψυχία ἀπὸ τῆς μεγάλης τῆς ψυ-
χῆς deducitur: Et accipitur apud Ethicos scriptores potissimum
tripliciter: 1. Pro magna tolerantia, & fortitudine, quâ quis, ut Pin-
darus loquitur, πάντα κοσμίως φέρει, omnia eleganter tolerat, etiam
adversissima, de quâ virtute paulò ante. 2. Pro excellenti Liberalitate,
sicut apud Cic. 3. off. in quibus, inquit, magnus est animus, in ijs pecunie
aviditas spectat gratificandi facultatem. 3. Pro virtute moderante appe-
titum magnorum honorum, & eorundem possessionem & con-
servationem, prout ab Aristotele lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 3. ac-
cipitur.

III. Et sic accepto vocabulo definitur Magnanimitas μέσότης
περὶ τὰς μεγάλας ἡμᾶς hoc est. Est virtus in magnis & debitis ho-
noribus mediocritatem servans Aristoteles l. d.

IV. Objectum hujus virtutis est duplex: Generale, & Spe-
ciale.

V. Generatim Magnanimitas versatur circa τὰ μεγάλα, quod
1. ipsa nominis Etymologia innuit à Magnanimitate desumpta. 2. De-
finitio Magnanimi, quia is dicitur magnanimus, qui cum magnis dignus
sit, etiam se is dignum iudicat. 3. Quia extrema Magnanimitatis circa
magna versantur. At qui circa ea versatur medium, circa que versantur
& extrema.

VI. Specialiter Magnanimitas versatur circa magnos hono-
res. Cum enim Magnanimus sit, qui cum magnis dignus sit, etiam se ijs di-
gnum iudicat: idcirco eum etiam circa magna occupari necessum est. Atqui
honor externorum bonorum maximum. 1. quia tribuitur etiam ipsi
Deo. 2. Honestissimi quique honorem appetunt. 3. Non nisi præclarissimæ res,
virtutes videlicet, eum merentur. Ergo &c. Arist. l. d.

VII. Distinguitur Magnanimitas à Modestia, quod illa in ma-
gnis, hæc verò in modicis honoribus cernatur: Sicut enim non quævis corona
quemvis decet victorem: ita nec quivis honor quemcumque hominem Aristo-
teles l. d.

VIII. Officium Magnanimitatis duplex est: primarium, vel
secundarium.

Pri-

IX. Primarium est magnos & meritos honores convenienter, seu rectæ rationi congruenter expetere, vel contemnere. Donald. l. 3. cap. 5. p. 209.

X. Expetit vir magnanimus honorem, & lubens accipit à magnis viris sibi delatum, quo propter τὸ ἕξισμῶς, seu virtutis excellentiam se dignum esse novit: Eumq; sic detrabi, aut denegari fert admodum molestè. Decet enim magnanimos viros appetere magnos honores ut illustriora fiant interiora animi dona atq; adeò ut virtuti & Dei donis debita præmia tribuantur: sed appetitus iste est conditionalis, si nempe bonum publicum & præsens rerum status magnos honores nobis permittat.

XI. Celebre hujus rei exemplum est illud Pompeij apud Plutarchum in Apophtegmatis Romanis cui cum Triumphus à Quinto Servilio, viro inter Optimates claro, & à militibus, pecuniam se direpturos minitantibus, denegaretur: Et Servilius Glauciaq; suaderent, ut eam potius inter milites divideret, quam diripi sineret: respondit Pompejus, se citius omisurum triumphum, quam militibus blanditurum, simulq; laureatos fasces eis objecit, ut illinc inciperent direptionem: Quo viso: nunc inquit, Servilius, te Pompei, verè magnum video, dignumq; triumpho. Non judicabat speciosum triumphum, nisi qui citra ambitus, citraq; largitiones benefactis redderetur.

XII. Contemnit vir Magnanimus, & quasi utraq; manu à se amovet honorem 1. Majorem quam quo est dignus, 2. quem non est pro meritis, 3. Quo ab obscuris, & improbis hominibus corruptè iudicantibus se videt affici, quorum ipsorum opprobria & convitia, quibus ab illis indignè se peti inteligit, nihili facit, & multo minus curat, quam si à musca lædatur. Aristoteles l. d.

XIII. Ejus rei exemplum item est Pompejus, qui cum in Lybiam adversus Domitium transisset, eumq; ingenti pralio superasset, militibus ipsum imperatoris titulo consalutantibus, negavit se eum honorem admissurum, quam diu hostium vallum staret erectum. Hoc audito milites, licet ingens obstaret pluvia, impetu factò, hostiam castra adorti expugnârunt. Recusavit honorem nondum factis emeritum.

XIV. Ita & Socrates, cum ei quidam malè loqueretur, dixit: quid mirum cum bene loqui non didicerit. Et Alexander Magnus: Regium esse dicebat, benefacere, & malè audire. Nempe

Conscia mens recti, famæ mendacia ridet. Et:
Cum rectè vivas, ne cures verba malorum,
Arbitrij nostri non est, quid quisq; loquatur.

Qui enim dolorem ex c. lumbis capis, is sese affinem culpa esse ostendit: Neque verò quisquam maledictis multum irascitur, nisi qui pravæ voluntatis conscientiam movetur. *Majoragius Orat. 16.*

XV. Secundarium officium viri magnanimi est, etiam *ἡσυχία* καὶ *ἀναισθησία*, circa divitias & potentiam, nec non circa fortunam, tam prosperam, quam adversam ita moderatè versari, ut nimirum in rebus secundis animum non efferat, nec in adversis despondeat; sed omnem fortunam tam prosperam, quam adversam decenter & moderatè ferat, *secundum illud Ausonij:*

Si fortuna juvat, caveto tolli:

Si fortuna tonat, caveto mergi.

XVI. Cum enim Magnanimus honore non efferatur, sed modicè illo delectetur: circa reliqua etiam fortune bona, quæ omnia propter honorem expectantur, eoque sunt longè inferiora, moderatè se gerit, & ut Horatius ait lib. 2. ode. 10.

Sperat infestis, metuit secundis

Alteram sortem bene præparatum

Pectus.

XVII. Et si verò non propter exteriorum bonorum affluentiam, sed virtutis copiam Magnanimus honos & reverentia dignè præstatur: καὶ τὸ ἀλίθως γὰρ ὁ ἀγαθὸς μόνος ἀμάρτυς: Tamen divitiæ, nobilitas, seu generis claritas & potentia, & τὰ ἐπιτυχίματα, id est, secundæ rerum successus decus illius quadam ex parte amplificant, eumque efficiunt honoratiorem, Aristoteles l. d.

XVIII. Qui verò absque virtute fortune bonis, divitiis, potentiâ, & generis splendore affluunt, summamque fortune prosperitate utuntur, illi ut magno honore se verè dignos reputare & prosperam fortunam propter virtutis absentiam moderatè ferre nequeunt (quod tamen utrumque est magnanimi) ita nec magnanimi sunt, ut ut contingat illis à promiscuâ multitudine honores deferri & adhiberi maximos. Arist. l. d.

XIX. Atque hæc hæctenus, de objecto & officio viri Magnanimi: Sequuntur nunc ejus adjuncta, quæ vel sunt propria, vel communia.

XX. Propria sunt duplicia, i. Magnanimum in omni virtutis actione oportere excellere, omnesque virtutes in eius pectore ita lucere, ut meritò de illo usurpetur illud Poëtæ:

Ille est Gallinæ filius albæ:

Ille sapit solus; volitant alij velut umbrae.

z. Verè

2. Verè magnanimos admodum raros esse, cum in iis, uti jam dixi, requiratur καλοκαγαθία & complexus omnium virtutum.

XXI. Communia adjuncta sunt, quæ Magnanimitati cum aliis ferè virtutibus sunt communia. Hæc verò quia plura sunt, & alia etiam aliis virtutibus conveniunt: ideoq; nos potiora tantum huc nude & breviter adducemus.

XXII. Primum itaque magnanimus in actione fortitudinis talem se gerit. 1. In periculis adeundis non est *ὀλοκίνδυνος*, neq; *μικροκίνδυνος*, hoc est, non temerè quibusvis periculis, etiam parvis sese exponit, ex quibus nihil glorie potest reportare: (Alias uti magnanimi est, magna agere, quando & quomodo oportet; ita ejusdem etiam est parva tractare, si opus fuerit. Virobique enim eadem magnitudo quoad formam, differt quoad materiam. Zvingerus in Tabulis) Sed est *μεγαλοκίνδυνος*, hoc est, adit magna, necessaria & honesta pericula, in quibus virtus maximè splendet & cernitur. Talia sunt quæ pro religione, patria, pro sua, & suorum libertate à Magnanimo suscipiuntur. 2. Et in talibus periculis non est *ἀφειδία τῆς βίης*, id est, non parcat suæ vitæ, sed existimat, sibi potius gloriosè esse moriendum, quàm turpiter ea declinando vivere: illudq; ex Poeta secum ipse tacitus frequenter insusurrat:

Non sunt timenda vulnera;
Præstat mori quàm cedere;

XXIII. 2. In liberalitate & magnificentia hæc pensi habet: 1. Est promptus ad benefaciendum: Verecundus ad accipiendum beneficium. Beneficium enim accipere, ut Terentius ait, est libertatem vendere. Atqui magnanimus propter nullum aliquod beneficium vult esse alterius, qui suus esse potest. Et præterea, beatius est dare, quàm accipere. Actor. 20. v. 35. 2. Plura reddit, quàm accepit: ne ipse obligatus sit aliis, sed ut alij obligentur sibi. Ad summam, Magnanimus etiam in harum virtutum actionibus in id serio incumbit, quod majus est & eminentius: Et proinde aut nunquam, aut certè rarissime suppetias desiderat aliorum; ipse autem sponte aliis succurrit, secundum illud: Vide ut te multi, tu paucis indigeas.

XXIV. 3. Honorum appetitum ita dirigit Magnanimus, ut non sit ex eorum numero, de quibus Erasmus alicubi loquitur, qui sunt veluti vitrum, quod quia pellucidum, nihil celat: ita quidam nihil tegere, nihil dissimulare norunt: quicquid in animo est, id protinus palam est. Talis, inquam, non est Magnanimus, sed semper habet rationem personarum, locorum, temporis, & negotiorum.

Primo

XXV. Primò enim non promiscuè apud quosvis excellere, & magnus haberi capit, sed solum apud eos, qui & ipsi dignitate, atq; operibus valent: *Siquidem his antecellere, res magni momenti est, & non nisi generosi animi, atq; pectoris.* 2. Apud mediæ conditionis homines modestum se gerit, neq; adeò inter illos excellere affectat *cum, æquè stultum sit apud plebeos gloriari, quàm adversus infirmos & debiles sui corporis robur experiri.* Hinc benè Seneca: prudentiam si amplecteris, ubiq; idem eris, & pro ut rerum, ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori: Necte in aliquibus mutes, sed potius aptes: Sicut manus quæ eadem est, quum in palmam extenditur, & cum in pugnum adstringitur. De 4. virtut.

XXVI. 3. Non frequentat loca honorata, aut ubi alij primas obtinent, *ne videatur è loco honorem captare aut aliis plus se submittere cogatur, quàm virtutem suam deceat.* Vide infra questionem. 5.

XXVII. 4. In rebus gerendis cunctatur, & non festinationem, adhibet, nisi ubi honorem magnum se consequi posse sperat.

XXVIII. 5. Non quævis negotia suscipit, sed pauca & ea quidem illustria, in quibus se *virtutis suæ magnitudo elucere possit.* Sic apud Xenophontem Cyrus puer inter venandum leonem vel aprum sibi dari optat, imbellia animalia contemnens.

XXIX. 4. Quo ad mansuetudinem, in ira, & amore talem se gerit, ut nihil serviliter, nihil tectè, aut occultè dicat aut faciat. Est enim *φανερόφιλος καὶ φανερόμισος, id est, nec celat amorem, vel odium suum, sed apertè & propalam cum aliquo amicitias alit, sive inimicitias, cum optimè noverit, celare aliquid hominis esse timidi.* Et ut Cic. inquit: Longè præstat apertas gerere iras atq; inimicitias, quàm fronte occultare sententiam.

XXX. 5. Veritatem quod concernit, cum magnanimus potius velit esse, quàm videri bonus, 1. Nihil fictè, aut simulatè, sed omnia apertè & candidè dicit & facit. 2. Non pendet ex opinione vulgi, ejusq; judicium nihil quicquam moratur. Nihil enim est turpius, quàm ex insipienti vulgi sermone pendere, ex cuius ore qui pendet, is in magnis viris non est habendus. Cic. off. 3. in loquendo semper est *ἀληθεύων καὶ παρρησιαστικὸς, verax & liber: Non εἰρων aut κολακευτικὸς, dissimulador, aut adulator: Nisi quod dissimulationem in erdum adhibeat erga eundem & imperitam multitudinem.*

XXXI. 6. In actionibus Comitatis 1. impossibile est, ut Magnanimus vel possit, vel valeat ad alterius vivere nutum, (nisi id amoris ergo faciat: Siquidem: Hæc res & jungit, junctos & servat amicos cum servile

vile hoc fit: Omnes enim adulescentes sunt servi, & qui sunt humiles, sunt adulescentes. Quo nomine bene Cic. 1. off. Animus, inquit, à natura bene informatus, nemini vult parere, scilicet ex quadam necessitate, & coactione: Paret quidem animus legibus, paret etiam amicorum consiliis, sed ultrò, volens & lubens.

XXXII. 7. Quo ad reliquas in vita actiones, ut rem cum Philosopho paucioribus complectamur, 1. non est *μνηστικος*, memor injuriarum, sed eas magno animo contemnit, & penitus obliviscitur. Magnanimus enim si fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri: De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: Et quum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare voluisse. Scito enim, magnum, & honestum vindictæ esse genus, ignoscere. Sen. de 4. virtut. Quo pertinet etiam illud Aufonij:

Quid prudentis opus? Cum possit, nolle nocere:

Quid stulti proprium? Non posse, & velle nocere.

XXXIII. 2. Non est *κακολόγος* maledicus, ne in inimicos quidem, nisi ob contumeliam, ut honorem suum defendat, ne alij de se contumelias tacente sinistrè suspicentur.

XXXIV. 3. Non est *αυθροπολόγος*, nec de se multa loquitur. Est ut Hieronymus in quadam loquitur Epistola, tacens, sciens tempus apti temporis, ne vel aliorum admirator, aut obrectator, vel sui ipsius laudatos esse videatur. Huc spectat illud Catonis:

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:

Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

XXXV. 4. In rebus ad victum, & amictum acquirendis non admodum est sollicitus, & querulus: Quia res istæ magis à fortuna dependent, quàm ex virtute, quam solam vir Magnanimus maximi facit.

XXXVI. 5. Tardo & gravi utitur incessu, non veloci, ne videatur *πολυπράγμων*: Siquidem habitus mentis in corporis statu cognoscitur. Cic. 1. off.

XXXVII. 6. Vocem etiam habet gravem, & submissam: Non acutam, & nimis intentam. Qui enim altà voce utitur in sermone, videtur eas res, de quibus loquitur, magnifacere, & summo studio pro illis laborare. Animi enim motum sequitur motus corporis: & proinde concitato animo musculi laryngis inrenti reddunt vocem exilem: ejusdemq; precipitantiam lingua etiam volubilitas imitatur. At qui Magnanimus res externas non adeo magnificat,

Magnificat, ut pro illis existimet, sibi magna vocis contentione esse laborandum.

XXXVIII. 7. Deniq; oratione utitur firmâ, stabili, & æquabili, non inconstanti, & variâ, quæ levitatis argumentum esse consuevit minime dubium.

XXXIX. Magnanimitatis extrema sunt, χαυρότης, superbia: καὶ μικροψυχία, pusillanimitas: illa consistit in excessu: hæc in defectu.

XXXX. Est verò superbia, seu fastus, quando majoribus honoribus nos dignos judicamus, & præter meritum affectamus.

XXXXI. Nascitur hoc vitium ἐκ τῆς φιλαυτίας, quando quis eo nimio sui ipsius amore altius de se ipso sentit, quàm deberet, & plura sibi tribuit, quàm meretur.

XXXXII. Deteftatur hoc vitium passim sacra scriptura: Tob. 4. vers. 14. Ex superbia initium sumsit omnis perditio. Proverb. 16. vers. 9. Abominatio Domini est arrogans. Fons omnis superbiæ si homo à Deo deficit &c. Syr. 10. v. 14. 15. Et graviter Augustinus: Superbia est, inquit, omnium peccatorum initium, & finis, & causa, quia non solum peccatum est ipsa superbia: Sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse majus superbiâ.

XXXIII. Exemplum hujus vitij in sacris sunt Sodomitæ Ezech. 17. item Core, Datan, & Abirom Num. 16. v. 3. Goliath. 1. Sam. 17. v. 8. Nebucadnezar Dan. 4. v. 27. Haman. Esther. 7.

XXXIV. Apud profanos est Iulius Cæsar, qui disertè professus est, se in minutulo Alpium oppidulo primum, quàm Romæ secundum esse malle. Ajax apud Sophoclem ita quoq; superbivit, ut dixerit: ignavi juvante Deo vincere solent: Ego verò sine Deo hanc gloriam consequar. Ita etiamnum hodie multi tali festu mentis agitantur, ut avidius quàm leones prædam fugacem honoris umbram aucupentur, cum tamen præter ostentationem, & ventosam jactantiam nihil habeant. Et sunt veluti Chamæleon, qui maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus. Imitantur Acciam Poetam qui cum esset admodum brevis, tamen in æde Camanarum maximâ formâ statuam sibi posuit.

XXXV. Peccatur autem circa hoc vitium potissimum triplici modo. 1. Cum quis iis bonis se dignum judicat, quibus non est dignus: aut cum quis sibi plura aut majora arrogat, quàm debebat. Atq; hac ratione peccans, injustus, stolidus, & stultus habetur. Ita Senacherib gloriabatur se in sua ipsius fortitudine reliquas gentes vicisse. Esa. 10. vers. 17. Talis fuit & adolescens iste, quem Aristoteles superciliosus sublati superbiem-

tem conspicatus, sed nulla scientiâ præditum: Adolescentule, inquit, uti-
nam talis esses, qualis ipse tibi videris: qualis autem revera es, tales
fiant hostes mei! Antonius in Melissa part. 2. Serm. 74.

XXXVI. 2. Cum quis ex ornatu, in vestitu, & gestu corporis, ali-
isq; moribus externis quærit honorem. Sic C. Caligula Romanorum
Imperator ad huiusmodi insolentiam prolapsus est, ut Deorum vestimenta in-
dueret: in quibus nunc bellicosam virginem: Nunc mulierem representabat:
in sacrificiis Deorum ornatu induebatur: in plateis serico, & triumphali vesti-
tu incedebar. Xiphilinius.

XXXVII. 3. Cum quis jaëtat, & ostentat res suas secundas, ut sunt
opes, divitiæ, eruditio, sperans propter eas se honore affectum iri.

XXXVIII. Pusilla nimitas est vitium, quo iis etiam honoribus
nos indignos judicamus, qui jure nobis debentur.

XXXIX. Hinc à Cic. Pusillanimes definiuntur, qui à natura
habent adjumenta rerum illustrium gerendarum, & tamen Magi-
stratum, aut Reipub. gubernationem non suscipiunt, neq; quic-
quam magnum aggrediuntur, sed cunctantur, & tandem propter
accedentem ignaviam de magnis desperant.

L. Sic Terentius Varro noluit recipere dictaturam à populo, & Sena-
tu sibi delatam. Ita Africanus superior, nec statuas sibi poni, nec consula-
tum perpetuum suscipere voluit. Et Antonius quidam Origenis discipu-
lus, cum ad Episcopum Ecclesiæ Alexandrinæ vocaretur, dextram sibi absci-
dit. Trip. hist. l. 8. c. 1.

LI. Hoc vitio laborantes secundum Philosophum peccant
quatuor modis.

LII. 1. In seiplos, dum præmio, quo ob virtutem digni erant, se defrau-
dant: imò & in ipsum Deum sunt injurij: Cum enim Deus illos præclaris
donis ornârit, & propterea honoribus dignos judicavit, eos spernendo, eorum
auctorem spernere non obscure videntur.

LIII. Seiplos reddunt suspectos sceleris alicujus sibi conscios,
dum honores dignos aversentur. Nam ut Ovid. ait.

Conicia mens, ut cuiq; suæ est, ita concipit intra

Pectora pro facto spemq; metumq; suo.

LIV. 3. Seiplos & dona sua ignorant: ideoq; segniores, & ignavio-
res ad virtutem se reddunt. Quomodo enim qui nullo laudis & gloriæ stimulo
excitantur, unquam res magnas suscipient?

LV. 4. Bonis quoq; externis se abdicant, & se iis indignos ex-
istimant.

Et Tantum de Magnanimitate.

B

DE

DE MODESTIA.

LVI. Hæc de virtute, quæ versatur circa magnos: Sequitur ea, quæ circa parvos est occupata honores, & dicitur Modestia.

LVII. Est verò hæc μεσότης πρὸς τὰς μικρὰς τιμὰς, virtus quæ mediocritatem observat in parvis honoribus nobis debitis, eo modo expectandis, quo oportet. Arist. 3. Ethic. c. 4.

LVIII. Altiora enim te non quidem quæsieris: Sed nec illud Poetæ negligendum:

Tentanda via est, quâ me quoq; possim

Tollere humo, id quod adeo non est illicitum, ut ipse Apostolus dicat: Si quis Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat. 1. Timoth. 3. vers. 1. Nec invenustum est illud M. Aurelij Numeriani symbolum ex Horatio.

— — — — — Esto quod audis.

Esto quod es, quod sunt alij, sine quem libet esse,

Quod non es, nolis: quod potes esse, velis.

LIX. Differt Modestia à Magnanimitate eo modo, quo liberalitas à Magnificencia: Siquidem Magnanimitas versatur circa magnos honores: Modestia verò circa mediocres. Aristot. l. d.

LX. Actiones hujus virtutis sunt duplices: 1. Appetere debitos, & justos honores & contra sycophantas & calumniatores bonam famam, & existimationem atq; innocentiam legitimis rationibus tueri: id quod etiam sacra litera præcipiunt, Prov. 16. Syr. 20. 1. Tim. 3. Abstinere à nimis & nobis dignioribus honoribus: itemq; contemnere eos honores, qui cum nobis quidem deberentur, tamen non exhibentur. Arist. l. d.

LXI. Modestiae vicina est Christianorum humilitas nempe, quæ est animi demissio, quâ quis propria modestè extenuat, & submissus se gerit, quàm jure poterat: nec quicquid potest jactitat, ne arrogans, aut superbus videatur, sed interdum, aliquid de jure bonorum suorum remittit: idq; in Dei, & Ecclesiae gloriam. Ethica Mauriti. lib. 2. cap. 17. pag. 152. Kecker. in Syst. Eth. lib. 2. cap. 3. pag. 199.

LXII. Exemplum humilitatis evidentiissimum, & maximè illustre est Christus Iohann. 13. v. 5. Philip. 2. v. 6. Proximum huic est Paulus & Barnabas, Actor. 14. vers. 14. 15. Aliorumq; Apostolorum & confessorum humilitas.

Apud

LXIII. Apud profanos modestiæ nomine in primis celebris fuit Agatocles Samius, qui fertur vasis factilibus cœnisse, ut hœmilis sui generis, & ortus recordaretur. Item & Bias cui cum piscatores tripodem auream inventum offerent, cum hâc inscriptione: Sipienti deferetur, cum non admisit, Apollinem dicens esse sapientem, ut refert Laertius l. 7. Sic & illa vox Socratis in modestiâ sinu educata cœnari potest, qui nihil se scire, præter hoc unum, quod nihil sciret, dicere est solitus. Nec Pyrrhi regis animus hujus virtutis censu caruit, qui cum ex pugna victor à suis Aquila vocaretur. Per vos, inquit, aquila sum, nimirum armis vestris, tanquam pennis sublevor: modestè laudem suam cum militibus partiens. Quo spectat & illud Socratis: Modestus & humilis est is, qui cum possit elatus esse, tamen humiliter & demissè sentit.

LXIV. Extrema hujus virtutis sunt *ὀλομύα*, ambitio: Et *ἀλομύα*, honorum contemptus.

LXV. *ὀλομύα*, seu ambitio, est vitium, quo honores mediocres nimium, & præter rectam rationem expetimus. Vitium hoc graphicè depinxit D. Bernhardus de Consid. l. 3. sic inquit: O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques: omnibus places? nil acrius cruciat: nil molestius inquinat: nil tamen apud miseros mortales crebrius negotiis ejus.

LXVI. Exemplum hujus vitij post se reliquerunt, Diaboli, primi nostri parentes, Gen. 3. v. 6. Agar Gen. 16. v. 4. Aron, & Maria Num. 12. v. 2. Chores, Dathan, & Abiran. Num. 16. v. 3. Goliath. 1. Sam. 17. v. 8. Apostoli de primatu certantes, Matth. 18. v. 1. Cum primis autem Iohannes & Iacobus, primas in regno Christi per matrem petentes, Matth. 20. vers. 21. Et Mar. 10. v. 37. Hinc admodum bene Bernhardus: Potestatis ambitio angelum felicitate angelica privavit: Scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio; sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. In Serm: quod.

LXVII. Apud profanos præter modum honores affectavit. Cic. lib. 5. Epist. fam. Epist. 12. Item Herostratus, qui præ animo honoris studio Dianæ Ephesinæ templum succendit. Strabo lib. 14. Item Pausanias Philippo Alexandri Magni parenti mortem intendebat, ut hoc modo celebritatem nominis sibi acquireret.

LXVIII. *ἀλομύα*, sive honorum contemptus, est vitium, quo honores nobis etiam debitos præter rationem aspernamur.

LXIX. Apud veteres huius vitij exemplum est Sardana-
palus, qui nihil praeclarè gessit aut rege dignum prestavit, sed colum, lanam
& alia muliebria tractavit, quemadmodum ipse in Epitaphio fateatur, se omnia
pulchra & praeclara neglexisse.

LXX. Hodie honores tolluntur. Anabaptistae, qui omnes homi-
nes eodem censu haberi volunt. Quos imitatus est Carlostadius, qui honore,
& titulo Doctoreo, quem iure asssecutus fuerat, se postmodum abdicavit: Ex do-
ctore factus est agricola, ex pastore Ecclesiae, pastor pecudum Chemberge:
Mutato deinde nomine, & rejectis honorum titulis, neq; Dominus, neque
Doctor, sed frater Andraeolus ab omnibus salutari voluit. Iacobus
Schroppius in actis Con. Oecumenici p. 170. 2. Monachi, & reli-
giosi apud Pontificios alij, qui vanâ quâdam religionis opinione omnibus
honoribus renunciant, & nescio quam humilitatem profitentur, cum illorum
submissio sit potius hypocritica elatio, quam verus honorum contemptus. De hisce
dixit Bernardus. Volunt esse humiles sine despectu, & pauperes
sine defectu, & divites sine labore.

Et sic de Modestia.

DE MANSVETUDINE.

LXXI. Duabus virtutibus in honore, cum magno, tum parvo legitime
appetendo, occupatis, proximè à Philosopho subjungitur ὑπερότης, id est,
mansuetudo: quae ut in humana societate saepius valde necessaria & salutaria
virtus est: ita homines illâ decoratos plurimum sanè commendat.

LXXII. Proinde ut & huius virtutis indolem, & naturam rectè per-
cipiamus: ideò & hic Philosophi legentes vestigia, ex ejus sententia de Man-
suetudine hanc porro διαλέξιν instituemus.

LXXIII. Licet verò hæc virtus apud Græcos sis ἀνώουτος, & proprio
nomine careat: tamen ὑπερότης dici potest: ut & Latinis mansuetudo, seu a-
lio etiam nomine humanitas, placabilitas, & clementia.

LXXIV. Definimus hanc cum Philosopho, quod sit με-
σότης πρὸς ἔργα, hoc est mediocritas circa iram. Aristot. 4. Nic-
com. cap. 5.

LXXV. Objectum est duplex: internum unum, alterum ex-
ternum.

Inter.

LXXVI. Internum est ira, quæ affectus cum vindictæ cupiditate ex contemptu nostri aut nostrorum ortus. Aristot. 2. Rhetor. Quia enim hic affectus est omnium turbulentissimus, & subito totum animum hominis perturbat, ideo mansuetudo eam moderari debet, ne animum hominis abripiat, & mentem avertat.

LXXVII. Externum objectum sunt omnia quæ iram & indignationem in animo hominis concitare possunt, veluti sunt injuria, damna, offensiones, contumelia, convitia &c. Et quidem cum nihil sit, quod magis iram provocet, quam contemptus nostri, & nostrorum, idcirco qui tam iram refranat, quando contemnitur, is omnium maxime mansuetus dici meretur.

LXXVIII. Officium viri mansueti est, iram convenienter moderari, seu, medium in irascendo, à recta ratione definitum, & demonstratum servare: id autem servatur, si quatuor harum circumstantiarum ratio habeatur.

LXXIX. 1. Causarum: ut nempe non irascamur propter quaslibet causas, & ut dicitur, propter lanam caprinam, sed solum propter legitimas, & justas, & graves causas, pertinentes ad vindicationem, & defensionem honoris, & cultus divini, patriæ libertatis, legum, parentum, conjugum, liberorum, fame, & existimationis, ac similia. Talis ira fuit Christi servatoris adversus sacerdotes, ex templo Dei speluncam latronum facientes. Matth. 21. v. 13. Eliæ adversus sacerdotes Baaliticos, 3. Reg. 18. v. 40. Mosis adversum Ægyptium injuriam facientem Hebræo Exod. 2. v. 11.

LXXX. 2. Personarum, ut irascamur, non cuivis, non superioribus, & bene de nobis meritis, non veniam deprecantibus: non in qui ex consuetudine nemini parcunt, sed sceleratis, & improbis, qui se recte fecisse existimant. Boni enim sicut non invident, ut dicebat Aristoteles 2. Top. 2. ita nec irascuntur, referente Seneca in lib. de ira: ubi optimas naturas, si ve generosissima ingenia parum ira habere docet. Sic Aristippus contumelias à quodam petrus dixit: Penes te est maledicere, penes me autem bene audire. Et Socrates cum Xantippem uxorem diu rixantem tulisset in ædibus, ac tandem fessus consedisset ante fores, illa magis irritata patientia viri, de fenestra persudit illum lotio, ridentibus qui prateriebant, & ipse Socrates arridebat, dicens, Facile divinabam, post tantum tonitruum, secuturam pluviam.

Modi

LXXXI. 3. Modi ne nimium irā perturbemur, & commoveamur, ne in decorē aliquid committamus, quod est vel contra honestatem, vel nobis potest obesse. Nam:

Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi pareat
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catenis.

Horat. l. i. Epist. Immodica iræ exemplum vide apud Senecam. lib. 5. de ira.

LXXXII. 4. Temporis; ut nempe irascamur i. tum cum maxime decet: Exulare enim debet ira ab honestis congressibus, convivii, & seriis consultationibus: in gravioribus verò, & manifestis delictis irasci debemus non minus tardè, in levioribus non minus cito. 2. Neq; iram nimis diu alamus: Sicut enim acetum corrumpit vas, si in alium diem duraverit sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. Augustinus in Epist. ad Ne: Et Aristoteles dicere solitus est, admodum inconueniens esse, ut cum homo sit mortalis, immortalem iram gerat. Idcirco semper memores simus regule Apostolicæ ad Eph. 4. vers. 26. que vult ut iram nostram metamur ad Solis motum, ut q; tam velociter ira decurrat, quam Sol decurrit: Ne occidat, inquit, Sol super iram vestram. Quod dictum Apostolus habet ex ore Christi Luc. 17. vers. 4. inquit, toties ignoscendum esse fratri, quotiescunq; de precatus fuerit, 3. ut magis simus propensi ad ignoscendum, quam proclives ad irascendum. Vir igitur bonus super delicta dum irascitur personæ, irascitur quàm diu durant delicta, quando verò videt dolorem ex penitentia ortum, ignoscit.

LXXXIII. Virtuti huic opponuntur extrema vitiosa, & vituperabilia: quorum unum dextram, alterum sinistram versus, à virtutis regia deflectit.

LXXXIV. Ac à sinistra quidem medium deferit ἀοργησία, iræ vacuitas & Lentitudo, qua quis non irascitur iis de causis, quibus debebat, neq; iis adversus quos debebat irasci. Non autem irasci ubi irascendum est, peccatum est, plus verò irasci, quàm irascendum, peccatum peccato addere est. Bernhard. in Epist. Et hoc vitium nimiam parit hominum securitatem, morumq; dissolutionem.

LXXXV. In sacris hoc vitio laborarunt principes populi Israel. Num. 25. v. 24. Benjamitæ, Iud. 20. v. 13. Corinthii tolerantes incestuosum. 1. Cor. 5. v. 1. Apud profanos ob hoc vitium notatus fuit Aurelius Victor Nerva. Item Agesistrata, de quo Plutarchus in Lacon. apoph. Inprimis autem parentes hoc vitio laborant, ut docet Plinius lib. 9. c. 54. Simia, inquit, catulos ferè amplexu necat: ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu, & indulgentiâ corrumpunt illos: Siquidem.

Blan

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Exemplo est Eli. 1. Sam. 4. v. 10. 18.

LXXXVI. Proprietates eorum qui hoc vitio laborant sunt tres: 1. Quod fatui, ac stolidi videantur, ut qui injurias sibi illatas, tanquam stipites, & lapides non sentiant. Hinc Cic. lib. 4. Tusculan. question. Virum videri negat, qui irasci nesciat. 2. Quod servili, & abjecto animo esse videantur. Siquidem: Non cadit in molles nobilis ira viros. 3. Quod ad res gerendas minus apti esse videantur. Arist. 7. Polit. cap. 7.

LXXXVII. Dextram versus à via virtutis deflectit iracundia, quâ irascimur non eo modo, neq; eo tempore, neq; iis de causis, quibus oportebat.

LXXXVIII. Differt ira ab iracundia; tanquam generale à speciali: ira enim juxta Ludovicum Vivem, est motus: iracundia est habitus.

LXXXIX. Species iracundiæ sunt tres: 1. ἀκροχολία, Excandescencia. 2. πικροτή, amarulentia. 3. χαλεπότης, crudelitas. Arist. l. d. Damasc. l. 2. de Orthod. fide cap. 26.

XC. Excandescencia est, qua citò & faciliè ob causas leves irascimur: subitoq; placamur. Et huic qui indulgent ὀρχιλοι iracundi, & bilosi dicuntur.

XCI. Ita Israelitæ irati jurarunt Jud. 21. v. 1. Cujus paulò post pœnituit eos. Sic & David 1. Sam. 25. v. 23. 29, Talis fuit & Horatius, dum de se inquit,

Irasci facilis: tamen ut placabilis essem.

Ita etiam Aufonius de se ipso testatur:

Irasci promptus properavi condere motum:

Atq; mihi pœnas pro levitate deni.

Et testatur Cic. lib. 1. Epist. ad Atticum, hanc iram speciem esse in optimis hominibus, qui sunt quidem irritabiles, sed etiam placabiles. Et faciles motus mens generosa capit.

XCII. Amarulentia est iracundia, qua tardè irascimur, & iracundiam semel conceptam, diutissimè fovemus, nec desistimus, quin vel ultionem sumserimus, vel diuturnitate eam concoxerimus,

Nam licet ad tempus bilem sibi concoquat atram

Non tamen ira animo excedit, nisi pœna sequatur.

XCIII. Qui hoc vitio laborant πικροί, acervi nominantur: quales fuerunt Simeon & Levi, iram suam erga Sichemitas occultantes Genes. 34.

C

verf.

vers. 13. ut & Absolon erga fratrem Hammonem 2. Sam. 13. vers. 22.
Tali fuit Nicocreon Cypri Tyrannus, de quo Laertius lib. 9.

XCIV. Atq; hæc altera iracundiæ species priore multò est deterior. 1. Quia hi acerbi fronte occultant sententiã: Sed isti subito qui irascuntur, manifestas gerunt inimicitias. 2. Hi sunt placabiles, illi difficiles ad placandũ. 3. Quia amari sibi ipsis nocent, dum illo dolore, quæ est in ira diuturniore, se ipsos consiciunt, antequam eum ultione & vindictâ leniant. Impatiens enim sustinebit damnum. Prov. 19. v. 19. Zelus & ira vitam abbreviant. Syr. 30. v. 26. E contra cor candidum est sanitas cordis. Prov. 14. v. 30.

XCV. Crudelitas est iracundia, qua homines sævi & asperi gravius, & diutius quàm debent, irascuntur, & non absq; vindictâ extraordinaria placantur. Et hi χαλεποί sævi dicuntur.

XCVI. Derestatur hoc virium passim scriptura: Non quæras ultionem: nec reddas malum pro malo. Levit. 19. v. 18. Prov. 20. v. 22. Nec ut fecit tibi, ita facias illi. Rom. 12. vers. 17. Et qui se ulciscitur, in illo ulciscitur se Dominus. Syr. 28. v. 1. Ultio enim est Domini. Jerem. 51. v. 11. Et bene Pittacus, à quodam iniuriam passus, cum illum puniendi potestatem haberet, dimisit, inquiens: Venia melior est vindictâ: hæc enim belisami est ingenij, illa mansueti.

QVÆSTIO I.

An licitum sit appetere honores?

*Est aliquod genus hominum, simpliciter dicti-
gantium, omnes honores, ut fumos & caligines, mentem obumbran-
tes repellendos, & tanquam syrenas mentem seducentes, vitandos
esse. Ab his non procul absunt Anabaptistæ, qui de gradibus Academi-
æ, quam sinistrè iudicent, apud omnes in confesso est. Eumq; errorem ex-
ravavit olim Carolostadius, qui post secessionem à nostris factam sibi titu-
lum abrogavit Doctoris, renunens posthac salutari Doctor. Pro hoc vero
errore propugnando hæc colligunt cohortes, 1. Quia honor est bonum fragile,*

inco-

*inconstans, mentem ut fumus & caligo obumbrans. 2. Appetere honores est desiderare magnificari ab aliis: id quod Pharisaorum quondam fuit. 3. Expressum est Christi mandatum: Nolite vocari Magistri super terram: Siquidem unus est vester magister, nempe Christus Matth. 23. v. 10. 4. Solum Deo competit honorari. Ergo homo non debet illud appetere, Ex aduerso verò vasa-
 num hunc esse errorem, & honores appetere, si modo unde oportet, & quâ viâ oportet, & quantum oportet, & ad quem finem oportet, nimirum ad Dei gloriam & proximi ædificationem à nobis fiat, non illicitum esse, tam id est certum, quàm Solem meridie lucere. Probamus: 1. Honor est virtus, vel aliquid virtutis. At cave, dixeris virtutem non esse appetendam. 2. Quia desiderium honoris à Deo, & naturâ nobis est insitum, ut ad bene, rectèq; vivendum magis magisq; incitemur: Honor enim alit artes: Et: virtus laudata crescit. 3. Honorem Deus piis haud raro pollicetur, sicut & impiis confusionem: Glorificantes me, glorificabo inquit. Et Presbyteri à Paulo duplici honore digni pronunciantur. 4. Deus precipit honorem in quarto precepto. 5. Mandato Dei obtemperatur, cum quisquam honore dignus eo afficitur. 1. Timoth. 5. vers. 3. & 17. idem c. 3. v. 2. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus expetit, 6. Nullus, qui vel vitam pietatis habet, insidiari potest, omnia nostra opera sic esse instituenda, ut cum Deo, tum hominibus probari possint, nempe ut homines illi viderent Deum (quem admodum par est) glorificent. Quare cum honos ob res bene gestas non tantum in nobis resideat, sed & in ipsum Deum redundet, quotquot gloria cupidi sumus, ut omnes esse debebamus, vel hoc nomine honorem expetere possumus. Vnde & Paulus jubet, ut quæcunq; sunt expetamus Philip. 4. vers. 8. 7. Bonam famam appetere licet, juxta dictum Augustini: Bonâ vitâ mihi opus est propter Deum bona conscientia propter memetipsum, bona fama propter proximum. Ergo etiam & honorem, qui est bona fama causa. 8. Auctoritatem non tantum licitum est affectare, sed propter illos, quos debemus nostro ministerio iuvare, si viderimus eam vilescere, illam honestis, iustisque rationibus tueri debemus. Quò spectat illud Pauli ad Timotheum: Iuventutem tuam nemo despiciat. Quidni ergo etiam honores licebit expetiscere? Quam in sententiam optime Augustinus in soliloquiis lib. 1. cap. 11. Auctoritas cum ex honoribus crescat eaq; multum faciat ad persuadenda honesta, & pelliciendos homines, cum ad vera dogmata, tum ad vitæ sanctitatem, sunt optandi. 9. Appetitus honoris*

distinguit homineus à pecude. Quibus ita stantibus respondemus ad argumentum primum prioris opinionis. 1. Quod bona fragilia, si pernicioſa ſint, non liceat appetere. 2. Quod honorem liceat appetere, non tanquam ſcopum ſummum actionum noſtrarum, ſed tanquam ornamentum & virtutis comitem. Ad 2. 1. Quod ſolummodo ſit verum, de eo, qui geſtit honore affici, quem non promeruit. 2. Quod deſcriptio illa in totum tolerari nequeat, appetere enim honores propriè eſt petere, ut pro meritis legitimis offeratur debitum. Ad 3. Quod Chriſtus ibi non damnet honores, ſive gradus Academicos, ſed illud duraxat magiſterium, quo quis ſcripturas haud aliter, ac ſi propria ſit ἐπιλῦſεως tractat pro libitu, & in Eccleſia Dei nova dogmata cudere, aut articulos condere, aut ſuas, ſuorumq; ſeniorum traditiones humanitas inventas, pro neceſſariis Eccleſiæ obtrudere præſumit; ſicut tum tēporè factitabant Phariſæi, & hodie Romanus Pontifex. Videatur diſputatio Hannij contra Anabaptiſtas. Idē ſuper Matt. c. 23. p. 751. Ad 4. Quod honor ſoli Deo competat, independenter homini dependenter. Quin ergo cum Zvingero hanc queſtionem ita concludimus: Virtutis comes eſt gloria. Ut ergo homo ad virtutem per ſe, ſic ad gloriam per acci-dens natus eſſe videtur. Hinc gloriæ ſtudium omnibus à natura, ſed optimis quibusq; eximie inſitum, in quo à reliquis affectibus alioqui invicti frequenter labi conſuevere, dum relictâ Penelope, ancillam conſectantur. Quo autem proclivior lapſus, eò ma-jore contentione ſacræ literæ ad humilitarem & contemptum ipſi-us mortales retrahere ſatagunt. Quid ergo illis facies, qui Cicero-nem potius, quam Chriſtum audire malunt, & gloriæ cupiditate jam inde à teneris puerorum animos imbuendos cenſent, Dæmo-nemq; adeò in ſolentiſſimum, & potentiſſimum juventuti præfi-ciunt, ut jam non propter virtutem gloriæ, ſed virtuti propter glo-riam ſtudeant? Quod in Lacedæmoniis Ariſtoteles 2. Polit. re-prehendit: Et D. Auguſtinus lib. de civitate Dei in Romanis re-rum Dominis non immeritò admiratur, tantum ſcilicet a-pud illos honoris ſtudium, potuiſſe, ut hujus unius cauſa ab om-nibus reliquis vitis abſtinerent, & ambitionis dæmon cæteros dæmones ſibi ſubijceret &c. Sic porrò Ariſtoteleam hanc de honoris ſtudio diſſertationem amplectamur, ut naturales quidem gloriæ ſtimulos agnoſcamus, ſed eosdem per peccatum corruptos & incitatos, ei, quam patris æterna ſapientia nobis ſuo exemplo reliquit, ἐξ ἑνὸς & τῶν ἑνὸς ſervire cogamus, adeoq; cum D. Paulo in ſola Chriſti noſtri cruce gloriemur, vincamus, & triumphemus. Zvingerus in notis 2. lib. 4. Ethic. Nicom. c. fol.

224. Vi deatur de hac quaestione Thomas prima secunda q. 32. a. 1. Martyr. in
1. Nicom. cap. 5. pag. 91. Piccol. q. 8. cap. 31. p. 686. Golen. in Exercit. Eth.
q. 13. pag. 268.

QVÆSTIO II.

Vtrum honor magis sit honorantis, quàm
honorati?

Aristoteles 1. Nicom. cap. 5. dicit: δὸν δὲ γὰρ ἡμῶν ἐν τῆς ἀμῶσι
μακρόν εἶναι ἢ ἐν τῶ ἀμουρῶσι. Pro qua sententia videntur & ita fa-
cere. 1. Quia honor est externa significatio, quæ ob virtutem proficitur
ab honorante tanquam effectum à sua causa. 2. omnis actio proba eius est bo-
num, cuius est actio. At qui honor est actio honorantis. E. 3. Effectum attri-
buendum est suæ causæ. At honorans est causæ honoris: Honor enim fit à judi-
cio, & præelectione honorantis, & in ejus potestate est positus. Ergo ejus est.

Contra verò honorem esse honorati similiter hisce ful-
cimus rationibus: 1. Vnum quodq; ejus est cui tribuitur, & ejus est præ-
mium, cuius est res, cuius est premium. At qui honor tribuitur honorato, &
eius est premium. 2. Qui ab honore denominatur, ejus est honor. Sed non
honorans, verum honoratus ab honore denominatur: Et honoratus dicitur,
non qui honorat, sed ille in quem honor confertur. 3. Honoratus fructum hono-
ris percipit, quando auctoritas eius amplificatur, & vehementer letatur, cum
de rebus bene à se gestis bonos rectè estimare videt. Piccol. g. 8. cap. 32. 4.
Operatio transiens suscipitur in recipiente, non in producente. At qui honor
operatio transiens. 5. Honor est signum virtutis honorati, & incundius est
cognoscere se dignum honore, quàm alterum iudicare talem. 6. Vituperium de-
decus, infamia, non largientis, sed recipientis sunt, cuius sunt vitia: ita honor
honorati est, non honorantis. Contraria enim nata sunt fieri in eodem subiecto.
Pro decisione quaestionis hujus notandum, quod honor conside-
retur quadrupliciter: 1. pro meritis honorati. 2. pro actione hono-
rantis. 3. pro mente externa quæ tribuit. 4. Pro signo virtutis. Pic-
col. l. d. Honor sumtus pro meritis, est honorati, quem honorem nemo præter
ipsum honoratum potest auferre. Honor sumtus pro actione honorantis, compe-
tit ei qui honorat. Honor deniq; sumtus pro materia & signo, mediat inter ho-
norantem & honoratum, competit honoranti, ut conferenti, honorato ut re-
cipienti. Quibus ita observatis, conspicuum est, utramq; sententiam, diverso
tamen respectu, stare posse. Et quando Aristoteles consideravit l. d. honorem
ratione actionis honorantis, rectè ejus respectu asseruit, eum potius esse qui hono-
rat, quàm qui honoratur. Aristot. 1. Nicom. 5. Acciaolus in hunc lo-

cum p. 27. Picol. g. 8. c. 32. p. 686. Gocl. in Exercit. Ethic. q. 15. p. 274. Marryr. in hunc locum p. 90.

QVÆSTIO III.

An magnanimus se Magnis dignum judicare debeat? Et num id Christianæ pietati sit contrarium?

Aristoteles Magnanimum definiit, quod sit is, qui cum magnis sit dignus, magnis se dignum judicat. Quæritur jam an bene, & num hoc secundum pietatem Christianam? Pro negativa hæc videntur facere: 1. Quo quis est maior, eo humilius & submissius se gerere debet. Syr. 3. vers. 20. Ergo nemo debet se magnis, dignum judicare. 2. Qui vult esse maximus, debet esse sicut puer, seu infans. Pueri autem se magnis dignos non iudicant. E. 3. Christus cum esset in forma Dei se ipsum exinanivit, forma servi sumus. Phil. 2. v. 6. E. 4. Omnes sumus peccatores, & egemus gloria Dei. E.

Sed nec affirmativa suis destituitur fundamentis. 1. Qui magnis dignus est, & tamen is indignum se judicat, ille est pusillanimus, & peccat in defectu. Ergo magnanimus nisi esse velit pusillanimus debet se magnis dignum judicare. 2. Quemadmodum in magno corpore laudatur pulchritudo, quia tale corpus videtur esse perfectum, & habere aliquam dignitatem & admirationem: in parvo autem corpore laudatur venustas, elegantia, & decora partium, atque membrorum compositio (simile hoc habet Aristoteles, de quo nos infra quest. 7.) ita magnanimus laudatur in rebus magnis honestè expetendis, modestus autem parvis. Quilibet enim iustè expetit id, quo suo iure est dignus. 3. Circa quod versantur extrema, circa idem versatur ipsum medium, seu virtus. At qui extrema magnanimitatis versantur circa iudicium de magnis. Ergo & medium seu ipsa magnanimitas versatur circa tale iudicium.

Pro decisione notandum, affirmativam fortè admitti posse: 1. Si magnanimus propter bona quæ in se agnoscit, Patrem cælestem laudet, à quo omnia bona proficiscuntur. 2. Neque tamen proximum contemnat, & superciliosè cum eo conversetur. 3. Id agat, cum bona sua majora esse videt, cogitet, talentum majus à Domino sibi commissum, majori cura, ac diligentia etiam excolendū esse. 4. Denique præ suis bonis aliorum quidem contemnat bona, beneficentia tamen sua hunc affectum ita condiat, ut quanto præstat reliquis, tanto præclarius de illis mereri sui putet esse officij: Et sic contemptus humanitatem non modo non tollit, sed confirmat, promovet, & amplificat. Zyvingerus in hunc locum. Ad argumentum igitur 1. prioris opinionis respondendum, quo quis est maior, eo se gerat

gerat submissum, scilicet erga alios, habit à tamen ratione sua vocationis, & vite gradus: Vita enim genera non debent confundi. Ad 2. Quod illud dictum agat de conversione, & iustificatione coram Deo. In conversione n. & iustificatione debemus esse similes pueris, & nihil nostris adscribere viribus. Ad 3. Quod Christus sese exinaniverit, sicut eius officium requirebat, ut videlicet pati & mori posset: Nihil itaq; egit Christus sese exinaniendo contra officium suum. Quod verò Apostolus isto servatoris exemplo ad humilitatem adhortatur, illud de spirituali humilitate in primis accipiendum est. Ad 4. Quod non posimus nos magnis dignos iudicare coram Deo, omnes enim sumus peccatores: possumus tamen nos magnis dignos iudicare ratione officij politici, & quotidiana conversationis. Quia enim magistratus non pugnat cum Christianismo, ideo nec magnanimitas: Et potest quis politicè esse magnanimus, id est, tueri magnanimitatem politicam, qui tamen spiritualiter est pusillanimus & humilis, ita ut agnoscat, & deploret peccata sua seq; sciat nihil aliud esse, quam lutum & vermiculum miserrimum. Confer precedentem questionem primam.

QVÆSTIO IV.

An sit Magnanimi. 1. Ab aliis libenter sua bene facta audire: aliorum verò erga se non item: 2. Neminem, aut vix quenquam rogare. 3. πρὸς τὰ ἑνὶ Τίμα μὴ εἶναι hoc est ad loca honorata non accedere?

Omnia quidem hæc affirmat Philosophus, sed num satis Ethicè & Christianè, id à multis in quæstionem vocatur. Nos quidem sentiamus, candidè & distinctè dicemus.

Quo ad primum enim vult philosophus, Magnanimum quidem libenter audire ab aliis sua benefacta, sed aliorum erga se non item. Declarat id exemplo tum Thetidis apud Homerum l. 1. Iliad. tum Lacedæmoniorum. Vtrumq; hoc (Ecquid enim dissimilem) ex vulgari opinione. Alioqui enim ut magnanimi est, suæ magnitudinis in præsens curam habere: ita parvitas quoq; præcedentis meminisse. Vt enim quàm maximè recordatio parvitas parvum quodammodo videri faciat: at multo majorem, respectu præsentis magnitudinis, respectu deniq; magnanimitatis, ne suam quidem parvitas dissimulantis. Itaq; magnanimus fuit usus fictilium Agatocli, & Darij erga Sylofontem magnificentia, pro veste, quam privatus acceperat, tyrannidem donantis. Quo ad alterum expressa sunt verba philosophi: Est etiã magnanimi neminem, aut vix quèquam rogare. Nos distinguimus. Non enim rogabit alios ut accipiant, nisi ea sit personæ conditio, ut illam etiam rogare sit decorum, ut patrem, ut amicum, ut eum qui vel ignoret, à quo petendum sit auxilium, vel certè non audeat interpellare. Probamus. 1.

Quia

Quia in hoc ipsius humanitatis magnitudo perspi. itur. 2. Sic & ipse Deus Adam
conscientiâ sceleris sese occultantem prodire iubet, & ad meliora spe-
randa invitat.

Sic etiam rogabit alios, ut ab iis beneficij aliquid accipiant, si
necessitas ita postulet. Neq; enim probare possumus, quod Anaxagoras
senex victus egens, Periclem discipulum compellare non sustinuit, sed atra-
tus ante vestibulum eius humi prostravit. Eo causam demirante: Qui lucer-
nâ opus habent, inquit, oleum affundant, teste Plut: Atqui cum ma-
gni sit animi, veritatem in magnis servare quidni calamitatis presentis con-
fessione multo maior esset, quam felicitatis false simulatione? Quo sanè nomi-
ne non pudet Vlysem apud Homerum stipem petere, & vel mulierculis sup-
plicem fieri.

Deniq; quo ad tertium, Philosophus ita habet: Magnanimi
est ad ea loca non ire, quæ sunt honorata, aut in quibus alij princi-
pem locū obtinent. Hujus loci duplex sensus afferri potest. 1. Mag-
nanimus non accedere ad ea loca, in quibus eodem genere hono-
ris, quotquot presentes sunt, affici consueverunt. (Huiusmodi loca sunt
convivia honorifica, aut publica, congiaria) Nam quatenus multi & diversi
eodem honori genere excipiuntur, eatenus quoq; virtute pares esse iudican-
tur. Atqui magnanimus non patitur aliorum splendore suam existimationem
quasi obscurari, & hebetari: Vnde Lucianus de Cesare & Pompejo inquit:
Neq; pares neq; superiores ferre potest. Verum hæc opinio vulgi est, hanc
immodicam honoris appetitionem, quæ hominibus magnis secundum naturam
quidem sed per peccatum vitiatam, inest, observantis, & tanquam naturali
honestatem convenienter iudicantis. Reverâ autem ista honoris appetitio vix
vilissimum gloria mancipium deceat, nedum magnanimus, virtute magnâ
instructissimus. Etenim si ἀὐτᾶρκῆς est, si sua virtute contentus, si gloriæ
tanquam pediseque honoraria, non necessaria rationem habet: qui agrè fe-
rat, etiam alios externa honoris significationem sibi adæquari, quos sibi proprie
virtutis possessione minimè pares esse videt? An propter honoris cum aliis com-
municati cupiditatem, popularitatis, & humanitatis penitus obliviscetur? 2.
Posterior sensus hic esse poterit: Magnanimū ad ea loca, in quibus
honores distribuuntur, & conferuntur, minimè accedere, ne quasi
præmium virtuti debitum efflagitare videatur: quin potius virtutis
sue splendore per se contentus, uti oblatum sponte honorem non repudiat, ita
non oblatum exigere ἀὐτᾶρκῆς sua, & contentu fortuitorum omnium pu-
tat esse dignum. Atqui in hoc posteriori sensu hoc conclusum, &
determinatum esto: Vir magnanimus non modo non declinabit
loca, in quibus majorum splendore suam existimationem effuscari
intelligit,

intelligit, verum etiam iis, qui revera præstantiores sunt, ne invidet
at quidem. Magnitudinem enim veritatis hic inquirimus, cujus non
minus est, bona sua cum aliis collata, si minora sint fateri, quam si
majora sint, aperte profiteri. Zvingerius p. 235.

QVÆSTIO V.

An ad solidum honorem sufficiat unius homi-
nis testimonium?

Dubitant haud pauci, an ad verum & solidum honorem sufficiat unius
probi, & prudentis viri testimonium, an potius complurium significatio exigat-
ur. Nos hanc liticulam distinctione quadam componimus. Quo ad
naturam enim honoris veri, ac sinceri, sufficit unius prudentis, & probi viri,
qui, nos rectè norit, testimonium: quoniam in uno, qui sit huiusmodi, omnes alios
eius similes habemus. Vna enim est vox & unum iudicium omnium prudentium &
proborum virorū. Quoad verò honoris sive illustrationem sive confirma-
tionem, & auctoritatis incrementum, non unius, sed multorum testimonia
requiruntur. Martyr. l. d. pag. 92.

QVÆSTIO VI.

Vtrum largitionibus uti, ac honores emere liceat?

Sic est: multi usq; adeò feruntur, ut si iustis rationibus honores assequi
non valeant, eos emere non dubitent. Nos meritò improbamus.
1. Quia omnibus iustis legibus hoc damnatur: Qua de re multa extant in ff. ad Le-
gem Iuliam de ambitu (hoc verò vitium Latinis ambitus dicitur) 2. Turpissimum
est largitione populi corrogare suffragia: 3. Quondam ambitus convicti damnaban-
tur infamiâ, & multa etiam pecuniaria. 4. Hujus vitij pœna quondam in Romana
Republica aucta fuerunt, quoniam vitium sine modo grassabatur. 5. Ecclesiasticæ
canones leges Romanas imitati sunt: Et quia istud vitium in Ecclesia inolevit
plurimum, & hodie passim regnat, multa fuerunt sancita, quæ habentur primò
q. 1. per totam questionem, & l. 5. Decretalium de Simonia: & in alio titulo,
ne prelati vices suas vel Ecclesia sub annuo censu concedant. 6. Qui dignitates Ec-
clesiasticas vendunt Ghiezi puerum Helizæi sectantur, & qui emunt Simonem
Magum referunt. Martyr. in Comment. 1. Nicom. c. 5. p. 95. Melchior Junius
parte 1. quest. polit. p. 95.

Cæterum, cum tamen multis in locis hodieq; obtineat, ut qui
ad functionem aspirat Ecclesiasticam, præbendorum particeps fieri
non possit, nisi certa pecuniæ summâ prius dinumerata: iam non im-
meritò dubitatur, ane illud etiam citra læsionem conscientie fieri
possit?

D

possit?

possit? Nos ex sententia Theologorum, ad quos res hæc propriè spectat, in tali casu distinguendum esse censemus: 1. inter oblationem, & intrusionem: potest minister Ecclesie, vel alia sancta persona rectè studium suum atq; operam suam Ecclesie offerre, sicut & Esaias se obtulit Deo & ita potest nonnihil pecunia possessori pro huiusmodi officio offerre: Et sic si dignus reperiat, & honesto testimonio sit ornatus, quod apostolus Paulus in tali persona requirit, 1. Tim. 3. v. 7. sistatur Ecclesie, & publico ritu ordinetur, & confirmetur. Videatur disput. D. Mentzeri de vocat: & ordinat. ministrorum: sed non potest bona conscientia se in ministerium intrudere: Nisi audire velit illud Apostoli Pauli ad Rom. 10. v. 19. Quomodo predicabunt, nisi missi fuerint. 2. Inter ministerium, & ministerij redditus, sive præbenda. Bona enim conscientia potest minister Ecclesie emere beneficia, & præbenda, quibus se sustentet, sed non officium, & ministerium, quod est solius Dei opus, qui solus Dominus ille messis est, qui extrudit operarios in messem suam Matth. 9. v. 38. 3. Si in emendo ministerio Ecclesiastico magis quispiam respicit ipsos redditus, & præbenda, quàm ipsum ministerium, sive gloriam Dei, & Ecclesie adificationem, nullo modo tum bona conscientia fieri potest. 4. Necessaria etiam habenda est ratio prioris status istius loci: Nemo enim potest bona conscientia morem illum introducere, ubi nondum est introductus. Nam & hoc ipsum esset quaedam in officium intrusio. Sed hac de re exactiùs, & plenius Theologi, in quorum messem falcem nos non immitteremus.

QVÆSTIO VII.

An pulchritudo non tantùm consistat in εὐταξία & coloris suavitate: sed etiam in μεγέθει & corporum proceritate?

Pro affirmativa 1. facit Philosophus: Qui, inquit, parvū est dignus, usq; se dignum censet, modestus non magnanimus est. Nam magnanimitas in magnitudine consistit, perinde ac pulchritudo in magno corpore est: nam parvi elegantes & concinni dicuntur, non autem pulchri: 4. Nicom. Ethic. c. 3. & de Poet. v. 7. Et pulchritudo non est nisi formositas in magno & perfecto corpore, inquit Alber. Mag. Ethic. 4. tractat. 2. c. 1. 2. Lacedamonij Archidamum regem suum pecunia mulctarunt, quod pusillam duxisset uxorem, addita causa, quod datura esset non reges; sed regulos. 3. A Virgilio commendatur Turnus, quod toto vertice supra est. lib. 9. Æneid. 4. Homerus vastū illud mare appellat καλὸν pulchrum Odys. 4. & Iliad. 19. καλλιπλοκάμων. E contra, si rem veris precii æstimare velimus, omnino ad veram pulchritudinem sufficere videtur εὐταξία, sive partium commissarum iusta σύνταξις & coloris suavitas, ut Augustinus appellat lib. 22. de civitate Dei c. 19. Simplicius

plicius in 7. *Phys. tex. 17. Probamus. 1. Quia magnitudo non ingreditur definitionem pulchritudinis. Definitur enim pulchritudo qualitas constata ex modo quantitatis, temperatura qualitatum & partium situ ac convenientia, à Scal. Exer. 307. s. 5. 27. & lib. 4. Poet. c. 1. Vel ut definitur ab Augustino d. lib. 22. de civitate Dei, c. 19. Pulchritudo est partium congruentia cum coloris quadam suavitate: quæ eadem definitio est Ciceronis l. 2. off. & 3. Tusc. quaest. & Piccolom. grad. 8. c. 36. Facit huc Ficin. in Platonis Charmidem: Pulchritudo inquit, corporis est temperantia quadam linearum & colorum. Et pulcher corpus est, qui membrorum figuram unam cum coloris venustate induit. M. Antonius Natta de pulchro. l. 1. Et recte Kecker. l. Syst. Log. c. 9. p. 104. Pulchritudo utrumque comprehendit, nimirum amabilem proportionem partium corporis, imprimis faciei, & deinde ευχροσίαν id est coloris suavitatem seu ευροσίαν. Idem in Syst. Ethic. l. 2. c. 3. p. 199. sicut eadem est pulchritudo in corporibus proceris, quæ est in corporibus brevibus & parvis, licet pulchritudo in corporibus proceris sit spectabilior, quam in parvis: Ita magnanimitas licet sit spectabilior virtus quam modestia, tamen propterea tota & plena specie non distinguuntur. &c. Videatur & Fonseca super 5. Metaphys. c. 14. q. 1. s. 14. Plotin. Enn. 5. l. 8. c. 2. Atqui si magnitudo esset necessaria, definitionem pulchritudinis ingrederetur, per ea quæ disputat. Zab. lib. 1. de prop. necess. c. ult. 11. Magnitudo corpora facit deformia. 1. Hinc Therfites dictus est φοιδός, χυλός & έτερον πρόσθεν ab Homero Iliad. 2. 2. Res quoque est minor, eo etiam censeatur pulchrior, id quod videre est in statu, imaginibus & rerum omnium simulachris, quæ tanto expressius & illustrius pulchritudinem suam ostendant, quanto moles est paucior & figura compressior. Anton. Boneciar. parte 3. Epist. p. 301. 3. Ea omnia quæ minus habent molis, plus habent admirationis August. l. 22. de Civitate Dei c. 24. 4. Hinc iudicavit Martialis non posse simul & semel consistere magnitudinem & pulchritudinem, dum sic Cotta affatur:*

Magnus homo, & bellus itemvis Cotta videri:

At qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

5. Et inde natum illud Proverbij & 18. δμῶνός, amens qui longus. Rebus enim parvis præter pulchritudinem naturam adiunxit sapientiam. Prov. 30. & Syrac. 30. c. Vnde & Poeta.

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Proinde rationibus pro affirmativa allatis respondemus 1. Aristotelem d. l. populariter fuisse locutum: de qua re vide Piccolom. de rerum definitionibus p. 276. 2. Lacedæmonios optasse proceres. Proceros non ob pulchritudinem, sed potius ob gravitatem & ferocitatem & formidabilitatem. Vnde trinitus Verficulus:

Est procerum verè procerum corpus habere.

3. Turnum

3. Turnum non ob id nominatum pulchrum, quod toto vertice supra est, sed potius
 immanem & vastum: Vnde Poeta & ipsum & Mezentium saepe cum Typhæis, cum
 Briareis cum Ægeonibus comparat. Econtra regum & Ducum filij juniores cum
 parvi essent, pulchri dicebantur, ornati floribus, hyacintho, lilio, Amarantho,
 interdum auro, ebore, terebyntho, ut Lausus, Pallas Eurialus, & ante omnes pul-
 cher Iulus. Bonciar. part. 3. p. 302. 4. Licet Homerus l. d. mare pulchrum appel-
 larit: Epitheta tamen vastitatis & deformitatis longè esse, frequentiora: adeoq;
 plurimos Poetarum mare ob magnitudinem non pulchrum, sed vastum, immen-
 sum ac informe vocasse; lacus verò omnes & piscinas pulchras. Vide Schedias-
 ma 63. Caspari Finckij,

ΑΥΓΑΣΜΑΤΙΩΔΕ

In nomen Ornatiss. Dn. Respondentis.

Burchardus Langius Calebergensis Saxo.

Sanè urges: creiskas: lux digna laboribus.

Cum labor & virtus equali calle feruntur
 Concipiunt vinculi pignora pulcra sui:
 Nimirum suboles dignissima provenit inde,
 Lux ampla, indigenas antipodasq; replens.
 Tu quoq; dum magno, Langi dilecte, labore
 Virtutem socio jungis amore tibi:
 Maxima nascetur patriaq; tibiq; tuisq;
 Gloria, non alio progeneranda modo.
 Sane urges: creiskas: lux digna laboribus istis
 Proveniet, nec te spes tua decipiet.
 Qui virtute, labore, gradu spatiabitur a quo
 Laude, coronato vertice, dignus erit.

apposuit,

Henricus Julius Strubius Henricopo-
 litanus Saxo.

Fc 1249.
gn


ULB Halle 3
003 422 747




Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.



...ATIO X.
 ...NUM ETHICARVM
 De
...IMITATE,
...A ET MAN-
...UDINE
 ...icorum Nicomachio-
 & s. depromptis
quam
 ...E ET DOCENTE
 ...niã VVitebergensi
 ...S IDE
...ELSTENIO PHI-
 Professore publico,
 dam suscipiet
...S LANGIUS CA-
 ensis Saxo.
& loco consuetis.
 ...BERGÆ,
 ...nis Anno 1607.

3

